

Bibliothèque numérique

medic @

**Devilliers, Charles - candidat / Disdier,
François-Michel - président. - De
abscessibus et fistulis ab urinae fluxu
impedito productis**

1766.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2343, n°20

DE ABSCESSIBUS ET FISTULIS
 AB URINÆ FLUXU
 IMPEDITO PRODUCTIS.
 THESES
 ANATOMICO - CHIRURGICÆ,

Quas, DEO FAVENTE, & Præsidi M. FRANCISCO:
 MICHAELE DISDIER, Artium & Chirurgiæ
 Magistro, Scholarum antiquo præposito, Regiæ Chi-
 rurgorum Academiæ Consiliario, *tueri conabitur*, CARO-
 LUS DEVILLIERS *Parisiensis*, Artium præclaræ Facultatis
in Universitate Parisiensi Magister, olim in portu Regio
Telonensi, dehinc ultimis bellis in Germaniâ Chirurgus à
 Rege stipendiatus.

PARISIIS,
 IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

*Die Martis, quartâ Novembris, à sesqui - secundâ post meridiem
 ad septimam, anno R. S. H. 1766.*


PRO ACTU PUBLICO
 ET
 MAGISTERII LAUREA.



Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
 Typographi.

M. DCC. LXVI.

U



DE ABSCESSIBUS ET FISTULIS
AB URINAE FLUXU
IMPEDITO PRODUCTIS.
THESES
ANATOMICO-CHIRURGICAE.

Quas, Dno. PARENT, & Praefide. M. FRANGISCO
MICHAËLE DIEZIER, Artium & Chirurgiae
Magistro, Scholae an-quo parisiensis, Regiae. Chir-
urgorum Aca'demiae Coe'llegio, tenui, coe'dunt, CARO-
LUS DAVILLIERS Parisiensis, Artium praefectus Facultatis
in Universitate Parisiensi, Maestri, olim in parte Regio-
nis, deinde militis bellici in Germaniâ Chirurgus &
Magister.

PARISIIS.

IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLAE

DE URINA, & de Abscessibus & Fistulis, & de Urinae Fluxu

PRO ACTU PUBLICO

ET

MAGISTERII LAUREAE



Typis R. A. L. P. Parisiensi, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXXVI



D. O. M.

DE ABSCESSIBUS ET FISTULIS

AB URINÆ FLUXU

IMPEDITO PRODUCTIS.

THESES

ANATOMICO - CHIRURGICÆ.



NA è sanitatis conditionibus ; ritè scilicet peractis secretionibus , retinendi retineantur , rejiciendique rejiciantur humores. Hos inter nec immeritò adnumeranda est Urina cujus egestio , obice qualicumque , impedita multiplices morbos , eosque pertinaces , producere valet. De Abscessibus & Fistulis ab hacce causâ effluentibus , differere cum sit animus , Vesicæ urinariæ & Urethræ anatomèn , paucis , exponere priùs incumbit.

A

VESICA urinaria ; organum cavum ; membranaceum , figuram ferè ovatam referens , Pubim inter & Rectum intestinum in viris , Uterum verò & eundem Pubim in mulieribus , in Pelvis fitum , hisceque partibus connexum , Urinæ receptaculum est.

DIVIDITUR in Cervicem , Corpus & Fundum. Hic (a) Corpusque , parte suâ superiori , Peritonæi lamella teguntur ; reliqua verò Vesicæ superficies textu cellulari , quasi tomento , molli-ter fulcitur. Eiusdem visceris non eadem ubique densitas , pars etenim ipsius superna , corpore spissior , cervice tenuior est.

QUADRUPLEX membranâ conficitur. Communis exterior à Peritonæo. Altera Musculosa variis efformatur fibrarum staminibus quæ Vesicæ fundum ad Cervicem deprimerè & latera ejus ad se invicem admovere valent. Huic subjacet tertia cui Nervosa nomen. Quarta deniquè Villosa est.

VESICA , intus humore mucoso obducta ; multisque referta rugis , tribus osculis pertunditur quorum obscuria duo , ac veluti conniventia , Ureterum extrema sunt ; inferius verò aliis majus , Uvulâ quâdam (b) conspicuum , in Urethram definit.

Hic autem , canalis est membranaceo-spongiosus , ferè cylindricus , urinæ nec-non seminis projectioni inserviens , in inferiori fulco à connexione Corporum Cavernosorum efformato collocatus . cujusque longitudo , sicut & directio in utroque sexu variantur.

DUE illum membranæ constituunt. Interna exteriore amplior , tenuis & admodum sensilis , plurimas in urethrâ producit plicas. In eadem multa reperiuntur oscula , Glandi obversa , alia aliis majora , quibus humor interiorem canalis superficiem irrorans depluit. Hanc inter & externam jacet Textus Spongiosus quo extuberante Bulbus urethræ , Penisque Glans efformantur.

TEXTU hocce spongioso non tota cingitur Urethra. Princi-

(a) Pars vesicæ superior pro ipsius fundo sæpius habetur , rectius tamen hocce nomine donaretur pars corporis ejus latior & infima.

(b) Lieutaud , Act. Reg. Scient. Academiæ 1753.

pium illius simpliciter membranaceum, Prostatis obvallatur. In hac canalis parte infurgit Verumontanum quod pervadunt Vesicularum Seminalium canales excretorii, cujusque basim ambiunt oscula alia plurima quibus liquor Prostatarum percolatur. Tandem versùs Urethræ extremum occurrit Fovea Navicularis.

Duo utrinq̄ue Coli adscribuntur muscoli, qui quidem Acceleratores, sive Bulbocavernosi, & Erectores, aut Ischiocavernosi nuncupantur. Priores Urethræ præcipuè pertinent.

VESICA Urethraque accipiunt arterias ab Hypogastricis. Venarum eadem sunt nomina eademque distributiones. Nervi à Sympathico majore, Sciaticis & Sacris ortum habent.

OBSTRUCTIS Vesicæ collo, vel Urethrâ, prospera ni Chirurgia celebretur, in eis fissuram contingere docet experientia. Quâ datâ portâ (a) lotium prorumpens, vicinarum partium in textum cellularem diffunditur.

VERSUS minorem resistenciam liquores tendunt; exindè nunc ad Penem, Scrotum, Perinæum & Anum; nunc etiam, at rariùs ad Pubem, Inguina, Lumbos & ipsamet Nates, lotium intrâ partes diffusum irrepit; imò Pelvim intùs & Abdomen quandoquè mali progressus subeunt.

AB urinâ partium distento cellulari textu, cutis ipsamet distenta, digiti prementis vestigium suscipit & retinet, vel nullo modo tactui cedit. Sæpiùs verbò tenuiores quam ut distentioni resistere valeant, textûs ejusdem vesiculæ disrumpuntur, proindèque vel in uno, vel in plurimis cavis, sive, (fas sit dicere) focus lotium colligitur.

DIFFUSA brevè corrumpitur, corrupta verbò sæviùs agit urina. Ne mireris ergo cur partes lotio perfusæ brevè depopulentur, vel quasi suffocatae celeriori gangrænâ corripiantur.

(a) Fissuram hanc sæpiùs evenire in illâ urethræ parte quæ tantum membranacea est docet experientia, panditque D. Ledran oper. Chirurg., pag. 354 & 356.

Cutis intereâ; colluvie indefinenter augente; tandem finditur; & quot ipsius rimæ, tot extûs hiant fistulæ urinariæ quarum distinctio, sicut & cæterarum ab aliâ quâcumque causâ productarum, ab essentiâ, causis, situ & accidentibus deducitur.

QUÆ autem urinæ effluxui obstant, vel à causis urethram comprimentibus, ut Perinæi, Recti, vicinarumque partium inflammatio seu læsio quæcumque ab ictu, vulnere, &c. Prostatarum tumor, &c., repetenda sunt; vel in ipsâmet urethrâ hærent; ut quidquid è vesicâ erumpens urethræ diametrum occupat, calculus scilicet, grumus sanguinis, &c. vel tandem sunt Gonorrhæarum tristes reliquiæ, nempè. Verumontanum tumefactum (a) Carunculæ sive Carnositates (b) spongiosi textus intumescencia, ulcus callosum, callosa cicatrix, &c. De hisce potissimum hic agi petimus.

TUMOR urinosus tactui duritiem quamdam in primis præbet instantibus. Hoc signo visuque, ægritudinis situ, præteritorum commemoratione dignoscitur: si vero jam per cutem diffusam, cruperit urina, Fistularum quæ extûs hiant, apertè patet Diagnostis: quæ verò mala ab intûs serpente lotio producta fuerunt difficiliùs agnoscuntur. Indè nè præceps sit prognosis mornetur.

AD vias naturales urina reducatur, vel ipsi præter-naturalis exitus arte comparetur, ut sin minus perfecta, saltem opportuna curatio proveniat. Ad ultimam methodum citò confugiendum esse, cum, nondùm perviâ cute, ab urinâ intra partes diffusâ, gangrena imminet, aut adest, pronum est concludere. Ineptè verò, mæandros omnes aperiri necessum credetetur. Si casus quosdam excipias, in quibus major necrosis extensio multiplicem exposcit incisionem, sufficit tumoris in decliviori parte per Perinæum apertura, quâ lotium manare possit, textus que cellu-

(a) Benevolus Verumontanum tumefactum frequentissimam esse causam urinæ retentionis arbitratur in libro cui titulus, *nova propositio de Carunculis in urethrâ, & de cataractâ glaucômâ.*

(b) De caruncularum existentia inter se dissentiunt authores. Alii eas in dubium revocant uti Saviardus, Brunnerus, Dionisius, &c. Alii eas prorsus negant sicuti Arnoldus & Petrus: his omnibus adversarii opponuntur Paræus, Riverius, Forestus, &c.

5
laris putredine dissolutus glomeratim excidat. Illâ equidem celebratâ, defluunt urinæ, gangrenæ progressibus meta imponitur, mortuum à vivis separatum elabitur, paulatimque recedunt alii ingurgitationis effectus; nec postea ad curationem altera requiritur medela, ac in casu quo per hiulcam cutem viam sibi paravisset latex urinosus.

HAC in duplici sorte rerum, ars in eo tota incumbere debet; ut obices urinæ per urethram effluxui obstantes destruantur: quod quidem Catheteris, aut Cereolorum introductione obtinebitur. Notandum verò posteriorum usum non tantum ad fissuræ cicatricem, sed & ultrâ protrahi debere. Urethræ diametro naturali restitutâ urina derivari desinit, Fissurarum margines coalescunt, succedit cicatrix.

CEREIS solidis catheterem quo lotium facilè fluit, & à Fistulis deviat quidam anteponunt practici. Cum autem non semper intromitti catheter queat, aut duritie suâ se molestiorem præbeat; idè excogitati fuerê cerei cavi de quorum utilitate controvertitur (a).

HORUM mediorum usu constanti, obices in urethrâ delitescentes feliciter debellari comprobavit experientia. Caveas ergo ne Fistularum callosas margines causticis consumas, aut instrumento secante abscidas. Absit etiam methodus quâ tota canalis obstructa pars inciditur, aut ab incisione ad Bulbum urethræ factâ fetaceum per Glandis foramen trajicitur.

CEREIS tempestivè usurpatis, adhibitis aliundè adhibendis; eorumdem malorum curatio Prophylactica suppeditatur.

(a) Roncallo, non alteri vero candelæ ceræ & cavæ excogitationis laus deferri debet, vid. lib. ejus. Cui titulus. *Exercit. Medic. Chirurgic. de novâ methodo extirpandî carunculas & curandî Fistulas in urethrâ. Brixia, edit. 1720.*

F I N I S.

